

perfectis operibus debet Deus hominem judicare, non de præcognitis, nec fieri aliquando permittis. In quo sententiam ejus probat Augustinus, addens optimam rationem, quia alias Deus non natum judicaret si propterea creare nolisset, quia non bonum futurum præcisset. Unde considerare licet idem in illa contingere, quod in aliis attributis Dei, in quibus distinguenda est cognitio an sint, a cognitione quid vel quomodo sint: nam prior sæpe est facilis et vulgaris, etiam inter homines parum subtiles, vel etiam indoctos; posterior est alta, et subtilis, et a paucis obtineri potest. Quamvis ergo hæc præscientia conditionata, quoad modum suum, difficile intelligatur, et non sine multa doctrina et subtilitate discernatur, nihilominus, quoad quæstionem seu cognitionem an sit, videtur esse valde communis et vulgaris. Et ad hunc modum locuti videntur de illa hæretici, nescientes forte quid dicerent, nec discernentes inter præscientiam conditionatam et absolutam, et nihilominus verum dicentes, et in re ipsa de præscientia conditionata loquentes. Et, ut antea dicebam, etiam communis plebs fidelium sæpissime orat Deum, hanc scientiam necessario supponendo, quamvis de illa distincte et (ut ita dicam) in actu signato cogitare nesciat. Quin potius etiam, nostris temporibus, legimus in Japonia et India similes interrogationes ab ethnicis proponi prædicatoribus eis annuntiantibus nostram fidem, qui, veluti naturæ lumine ducti, cognoscunt vel supponunt Deum esse præscium omnium futurorum, sive absolute, sive ex aliqua hypothesis nondum intellecta ut de facto futura. Unde, quando interrogationes supponunt præscientiam conditionatam, facile declinantur, negando habere Deum talem præscientiam: nunquam autem id faciunt evangelici prædicatores, magnum enim fuisset scandalum hominibus interrogantibus, neque etiam id fecerunt unquam Patres, ut vidimus.

CAPUT IV.

NEQUE IN AUGUSTINO, NEQUE IN ALIIS PATRIBUS ALIQUID CONTRA PERFECTIONEM DIVINÆ SCIENTIÆ CONDITIONATÆ REPERIRI.

1. *Proponuntur loca Augustini quæ apparent contraria.*—De hæreticis qui conditionatæ scientiæ maxime suffragari videntur. — Non obstantibus omnibus Augustini testimoniis, quæ in præcedenti capite adduximus, defensores contrariæ sententiæ proclamant hanc

scientiam rejectam esse ab Augustino et Prospero, tanquam fundamentum semipelagiani vel pelagiani erroris. Imo addunt aliqui etiam Arianos illam scientiam adinvenisse ad suum errorem explicandum, ex quadam Epistola Alexandri Episcopi Alexandrini, ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, ubi Alexander refert Christum factum esse filium Dei eximium per gratiam, esseque in nostra potestate filios Dei fieri, non aliter atque ille factus est: *Scriptum namque esse: Filios genui et exaltavi.* Et addit: *At cum illis objiceretur sententia quæ sequitur: Et ipsi spreverunt me, etc., aiunt Deum, cum præscientia et præsensione, prænovisse nequitiam ipsum aspernaturum, idcirco ex omnibus eligisse.* Sed si attente leguntur sequentia, et locus Psalmi quem illi hæretici male allegabant, *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, etc.,* facile intelligitur locutos fuisse illos hæreticos de præscientia absoluta futurorum operum Christi. Sed, esto fuerint locuti de conditionata, quid nostra interest, qui non solum istis, sed etiam pluribus hæreticis notam fuisse hanc scientiam, ut dixi, supra demonstravimus, neque propter illam isti damnantur, sed quia illa male usi sunt. Nec est sanum consilium prudentis alias viri, ut scientiam consentaneam divinæ perfectioni Deo negemus, ut hæreticis resistamus. Nam, sicut non sunt facienda mala ut eveniant bona, ita non est neganda una veritas ut alia defendatur. Alioqui negetur scientia absoluta futurorum meritorum, quia Pelagiani dixerunt ex illa prædestinari homines: tollatur gratia efficax, quia Calvinistæ ad negandam libertatem illa usi sunt: essetque illud consilium potius adhibendum ad non introducendam prædeterminationem physicam, propter difficultatem maximam, quæ est in constituenda differentia inter illam et efficaciam motionis necessitantis, quam ponit Calvinus. Igitur, quidquid hæretici senserint, videamus an Augustinus, impugnando Semipelagianos, a priori sententia circa hanc scientiam recesserit. Unus enim vel alter locus est apud Augustinum, qui nonnullam difficultatem habeat, quia, contra Semipelagianos disputans, non solum videtur eos reprehendere quod hæc scientia male uterentur, sed etiam quod ad suum tuendum errorem illam falso confingerent. Nam in lib. de Prædestinat. Sanctorum, cum in cap. 12 et 13 impugnasset tantum illius scientiæ abusum, in cap. 14 etiam ipsam scientiam refellere videtur; exponens enim

locum Sapient. 4: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, ait: Dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc novit quod erat futurum, non quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incertitudo, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Et lib. 1 de Origin. anim., cap. 12, similem tractans quæstionem, postquam argumentatus est contra abusum talis scientiæ, etiamsi illa daretur, auget responsionem, etiam scientiam ipsam refellendo, sic enim ait: *Quid quod ipsa evanescit omnino præscientia, si quod præscitur, non erit? Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non est futurum? Quomodo ergo puniuntur peccata, quæ nulla sunt, id est, quæ nec vita ista nondum incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte præveniente post carnem?* Et simili modo videtur sensisse de hac scientia Prosper in Epistola ad Augustinum, ubi, referens ac reprehendens phantasias Semipelagianorum, primum eos arguit quod gratiam, etiam prævenientem, in præsentia subjicerent meritis sub conditione futuris. Deinde addit: *Sed in tantum commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non extant, futura quæ non sint futura confingant, novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda præscita sint, et præscita non acta sint.* Denique Damascenus, etiam contra Manichæos, in fine, de solis effectibus aliquando futuris dicit esse præscientiam: *Nam si facturi (inquit) non essemus, nec ipse quidem quod futurum non esset, prænosceret.*

2. *Æquivocatio præscientiæ tollitur, et quid sit verbum præsciendi explicatur, quomodoque ab Augustino acceptum hic.*—Respondetur totam hanc objectionem in æquivocatione unius vocis præscientiæ positam esse; nam quod ad rem attinet, verisimile non est illos Patres sibi fuisse contrarios, et Augustinum præcipue, uno verbo obiter dicto, voluisse destruere quod tam expresse tantaque asseveratione in aliis multis locis docuerat. Dicimus ergo verbum præsciendi, sumptum proprie et in rigore, dicere habitudinem ad rem in tempore futuram, dicit enim antecessionem æternitatis ad tempus. Ita docet Damascenus supra; definiens enim quid sit prænotio, ait: *Prænotio est quæ futura sunt, antequam in ortum prodeant, nosse;* nam in verbo prænosse seu præscire, illa particula præ non dicit habitudinem ad alios actus vel ad res alias, sed ad objectum

ipsum præscitum. Unde dicit antecessionem secundum existentiam realem aliquam futuram, quæ in Deo est antecessio æternitatis ad tempus. De præscientia ergo in hac proprietate sumpta dixit Augustinus, in priori loco citato de Prædestinatione Sanctorum, sententiam illam Sapientis, *Raptus est, etc.,* intelligendam esse secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam, utique propriam, quæ est rerum aliquando futurarum; non excludit autem quin possit et debeat intelligi de his periculis vitæ, in quibus malitia mutaret intellectum hominis justi. Nam (ut jam dixi), si talia non sunt pericula, sola ratio periculi non esset sufficiens ad exaggerandam præmaturam mortem, ut specialem gratiam, præsertim in omnibus justis, qui in infantia aut pueritia, vel intra quodcumque breve tempus rapiuntur. Nam in istis non est tantum periculum quin, suppositis communibus auxiliis gratiæ, ex vi causæ et libertatis, sit æque contingens ad utrumlibet quod iste mutetur, vel quod perseveret et crescat in sanctitate. Ergo si anticipatio mortis solum est ex præscientia periculi, profecto etiam est cum contingentia majoris sanctitatis: ergo etiam erit contingens, quod illa mors vel majus bonum vel malum impediatur; ergo similiter est contingens et incertum an sit gratia necne; neque Deus ipse poterit hoc certo cognoscere ac determinate, quomodo talis homo vel puer vitam suam vel illius reliquum tempus esset instituturus. Multo ergo melius locus ille de certa cognitione malitiæ futuræ sub conditione intelligitur, et saltem Augustinus hanc intelligentiam non excludit, sed solum veram et propriam præscientiam, respectu eorum quæ nunquam futura sunt.

3. *Ex Augustino mens Augustini agnoscitur.*—*Præscientia operis nunquam futuri non sufficit ad meritum, vel demeritum.*—Potest autem hæc expositio suaderi, tum quia est necessaria ne Augustinus sibi ipsi contrarius sit, tum in aliis locis, tum in eodem libro in c. 9, ubi illam scientiam ipse supponit, ut vidimus, et in cap. 16 et sequentibus per illam explicat vocationem congruam: tum ex verbis quæ statim subjungit Augustinus: *Non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incertitudo, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Quæ omnia pertinent ad præscientiam rerum quæ aliquando futura sunt.

Dices, juxta hanc expositionem, vitiosum et æquivocum esse processum Augustini contra Semipelagianos. Nam illi bene sciebant non præscire Deum aliquando esse futura opera, quæ puer mortuus in infantia operaretur, si viveret; ergo non recte contra illos argumentatur ex eo quod illa non sit vera præscientia, id est, absoluta. Respondeo in hoc errasse et propriam vocem ignorasse Semipelagianos, quia in operibus nunquam futuris rationem meriti et demeriti confingebant propter solam prænotionem eorum. Ad hoc ergo refellendum, ait Augustinus illam prænotionem non esse propriam præscientiam, quæ ad meritum vel demeritum sufficiat, quia meritum et demeritum actuale (ut sic dicam), id est, quod possit esse ratio fundandi præmium, vel pœnam per divinum judicium conferendam, non potest fundari in opere absolute tantum possibili, etiamsi cognoscatur ut futurum sub conditione, sed fundari debet in opere existente, vel saltem realiter futuro in aliquo tempore, quia si pœna vel præmium absolute dandum decernitur, etiam opus malum vel bonum absolute esse, vel futurum præsciri necesse est. Et ideo Semipelagiani, admittentes verum meritum in objecto talis cognitionis, in re ipsa affirmabant esse veram præscientiam rei aliquando futuræ, licet id forte ignorarent, et ideo merito redarguuntur ab Augustino, quod illa non sit præscientia proprie dicta, et ideo ad meritum non sufficiat. Et hoc est quod etiam ait in alio loco de Animæ origine: *Exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit. Exinanitur* (ait) non quoad omnem rationem scientiæ, sed quoad propriam rationem præscientiæ, quæ necessaria est ut in ejus objecto possit vera ratio meriti inveniri. Et ita etiam exinanitur quoad hoc, ut in illa possit ratio meriti fundari. Et ideo subdit: *Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non est futurum.* Ubi pondero particulam *Quomodo recte dicitur*, per quam significat non improbari absolute, sed quatenus opus, per illam præscitum, tanquam aliquid revera futurum æstimetur, utpote præmio vel pœna dignum. Unde recte adjungit: *Quomodo ergo puniuntur peccata quæ nulla sunt?* id est (ut exponit), *quæ nunquam committentur post carnem*, utique morte præveniente. Intentio ergo Augustini in illis locis est illam scientiam non quidem non esse, sed esse quamdam simplicem intelligentiam, in cujus objectum nulla ratio meriti fundari potest, et ita non esse veram præscientiam, quæ interdum ad rationem

meriti et ad præmium anticipatum sufficit, interdum vero ad præjudicium et prædefinitionem alicujus pœnæ.

4. Et per hæc responsum est etiam ad Prosperum, quem alibi hanc scientiam conditionatam in Deo cognovisse jam ostendimus; in alio ergo non scientiam, sed abusum ejus reprehendit, fundandi nimirum in ea *commentitia merita*, ut recte vocat, *confingendo futura, quæ non sunt futura*, id est, affingendo illis meritum, ac si vere et absolute futura essent, cum tamen simpliciter futura non sint, etiamsi sub conditione sint futura. Et in eodem sensu infert tanquam absurdum, *quod non agenda præscita dicantur*, utique tanquam vera merita, ac subinde tanquam vere futura, ex quo etiam sequitur aliud absurdum, scilicet, *ut præscita non acta sint*: præscita nimirum sub eadem ratione, id est, ut vera merita, quia implicat sic præsciri, et non esse futurum aliquando, ut diximus. Damascenus autem nulla indiget expositione, quia ibi proposuit explicare proprietates harum vocum *prædefinitio, prænotio*, et aliarum: et prænotionem ita descripsit: *Prænoscere, est ea, quæ futura sunt, antea nosse*; ubi clare limitavit vocem illam ad scientiam quæ antecedit, duratione vel æternitate, rem in tempore futuram. De hac ergo præscientia loquens merito subjungit: *Si facturi non essemus, nec ipse quod futurum non esset, prænosceret.* Quanquam hæc verba, si recte spectantur, cum proportionem in scientia conditionata verum habent: nam si voluntas sub tali conditione posita hoc factura non esset, neque illud futurum sub conditione cognosceretur. Sensus tamen Damasceni est, quem diximus. Atque hæc nunc sufficiant de sententia Patrum: nam de mente divi Thomæ commodius dicemus, postquam alium sensum contrariæ sententiæ examinaverimus, quod in sequenti capite præstabimus.

5. *Augustinus adhuc videtur oppositus, at patet non esse, quia non de conditionata, sed de absoluta scientia loquitur.*—Sed adhuc nescio quo colore objicitur nobis Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 17, 18 et 19, quia in eis ex professo probat, contra Pelagianos et Semipelagianos, propositum divinum eligendi prædestinatos ad gloriam et sanctitatem non esse ex præscientia, sed potius præscientiam futuræ sanctitatis illorum esse subsecutam propositum, sic enim respondet ad quæstionem quam Prosper, in Epistola sua, ipsum interrogaverat. Adduntur etiam

verba Augustini in epist. 105, ubi tractans verba Joann. 6: *Sciebat Jesus qui essent credentes, et quis esset traditurus eum*, inquit: *Et ne quisquam existimaret credentes sic ad ejus præscientiam pertinere, sicut non credentes, id est, ut eis non fides daretur, sed tantum voluntas prænosceretur, mox adjecit: Nemo potest venire ad me, etc.* Et epist. 107, circa medium, ait Deum omnia opera sua futura in prædestinatione præscivisse. Sed hæc loca nullo probabilitatis colore ad præsentem causam accommodantur. Agit enim ibi Augustinus de absoluta præscientia meritorum, et probare vult sanctitatem, quæ a vocatione incipit, non dari ex meritis, sed ex gratia. Unde sic incipit: *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur, ut credant*; unde postea concludit: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem, ea prædestinatione in qua Deus sua futura facta præscivit.* Loquitur ergo aperte de absoluta præscientia meritorum, quam sequi, non præcedere decretum electionis divinæ verissime docet. Idemque prosequitur capite decimo, ubi refert sententiam Pelagii dicentis prænovisse Deum, in sua æternitate, qui essent futuri sancti, et ideo eos elegisse. Et hoc impugnat ex verbis Pauli ad Ephes. 1 dicentis: *Elegit nos ut essemus sancti, non quia futuri eramus sancti*, quod late prosequitur; et concludit: *Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti et immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinavitque ut essemus, etc.* Et infra sic inquit: *Ex hoc proposito est illa electorum propria vocatio, quibus omnia operantur in bonum.* Quod propositum non est certe conditionatum, sed absolutum, quo Deus statuit sanctitatem, vel vocationem congruam ad illam, illis quos gratuito elegit, ex quo proposito non conditionata sed absoluta præscientia sequitur secundum rationis ordinem. De hac ergo scientia Augustinus ibi loquitur, nec de conditionata verbum ibi habet, multoque minus decretum conditionatum insinuat. In capite autem decimo-nono doctrinam quam contra Pelagianos tradiderat, contra Semipelagianos applicat. Hi enim dicebant Deum elegisse nos ut essemus sancti, quia prævidit nos ex nobis futuros esse credentes. Ipse autem urget contra illos eadem testimonia, etiam elegisse nos Deum ut essemus fideles, non quia prævidit credentes nostro arbitrio, sed ut sua gratia nos faceret creden-

tes, et ita in suo proposito et electione prævidit fidem nostram futuram, non ante illam.

6. *Instantia sumitur de proposita doctrina absolute scientiæ, ad conditionatam.*—Sed instare possunt, quia eadem ratio et proportio quæ est præscientiæ absolutæ ad decretum absolutum, est etiam præscientiæ conditionatæ ad propositum conditionatum; ergo, licet Augustinus in illis locis loquatur de scientia et decreto absolutis, inde sumitur efficax argumentum ad conditionata. Consequentia est clara, et antecedens probatur, quia ideo scientia absoluta supponit propositum, quia effectus præscitus debet esse effectus propositi; sed idem effectus etiam debet esse effectus propositi sub conditione: ergo est eadem ratio. Unde e contrario sequitur, si consensus, verbi gratia, fidei prævidetur sub conditione, si detur talis vocatio, et ante omne propositum Dei, etiam conditionatum, non prævideri ut effectum saltem physicum et proprium voluntatis Dei, ac subinde præsciri ut effectum futurum ex sola voluntate hominis. Quod si hoc concedatur, sequitur ulterius Augustinum nihil contra Semipelagianos effecisse, quia ille bonus usus futurus erit physice a sola voluntate hominis credituri, et ita poterit esse meritum, et ratio totius prædestinationis.

7. *Rationis disparitas.*—Ad replicam respondetur imprimis non esse eandem rationem de præscientia absoluta et conditionata. Nam absoluta est de re futura in aliqua differentia temporis, et ideo necessario supponit in Deo liberum decretum proportionatum effectui præviso, quia non potest esse futurum, nisi per voluntatem aut cum voluntate Dei, et ita absoluta præscientia effectus absolute futuri necessario supponit in voluntate Dei determinationem ad talem effectum producendum. Futura autem sub conditione tantum, ut sic præcise spectata, non sunt de facto futura in aliqua differentia temporis, et ideo non necessario supponunt decretum cum actuali determinatione voluntatis Dei, quia illud futurum, ut sic, adhuc manet in statu possibilitatis. Secundo vero addimus hanc scientiam conditionatam necessario includere in objecto suo adæquato decretum Dei, non ut jam præexistens in voluntate Dei, sed ut comprehensum objective sub conditione illa sub qua futurum illud proponitur. Ut, verbi gratia, cum dicimus Deum præscire quod, si homo ita vocetur ad fidem, consentiet, non est sensus quod consentiet suis viribus solis, sed quod adjutus tali vocatione, et cooperante etiam

physice gratia adjuvante, quæ cum illa offertur, et concurrente etiam Deo per influxum generalem gratiæ. Conditio ergo hæc omnia includit, et consequenter includit propositum Dei dandi, vel offerendi hæc omnia cum ipsa vocatione, et tunc dicimus præscire voluntatem hominis etiam esse cooperaturam, et sic præscire Deum sub tali conditione consensum hominis.

8. *Nullum inconueniens sequitur ex nostra doctrina.* — Unde non sequitur cognoscere Deum illum consensum ut effectum voluntatis et non gratiæ, nam præscitur ut effectus futuri a voluntate præuenta et adjuvata gratia. Nec etiam sequitur sciri ut effectum gratiæ, solum in genere causæ moralis, quia, licet futurus sit a gratia præueniente tantum moraliter, etiam præscitur esse futurus physice a gratia cooperante, seu adjuvante, quamvis non prædeterminante. Denique non sequitur inefficacem discursum Augustini ex testimoniis Scripturæ contra Pelagianos et Semipelagianos. Cum enim tam sanctitas ipsa quam initium sanctitatis vel fidei, vel voluntas credendi, sit effectus divinæ electionis et propositi, optime infertur non posse esse causam ejus, etiam ut prævisam, quia, ut prævisa per absolutam scientiam, procedit ex vocatione data ex proposito, atque ita supponit gratuitum Dei propositum: ut prævisa autem tantum sub conditione, non potest habere rationem meriti, ut in eodem libro late probat idem Augustinus contra Semipelagianos. Et præterea, etiam ut sic prævisa, voluntas credendi non prævidetur ut effectus solius liberi arbitrii, sed ut effectus vocationis dandæ ex proposito, non quia in Deo supponatur, sed in conditione ipsa includatur, ut declaravi. Unde tantum abest ut ex illa doctrina Augustini præscientia conditionata excludatur, ut potius necessaria consecutione inferatur. Nam in illis capitibus eo pervenit Augustinus contra dictos hæreticos, ut fides sit ex vocatione, et non e converso, et quod vocatio illa debeat esse ex proposito. In aliis autem locis ejusdem libri, et aliis supra allegatis, docet vocationem ex proposito esse illam quæ datur, prout Deus novit congruere homini vocato, ut vocantem non respuat: hæc autem præscientia conditionata est, et ante omne decretum Dei liberum præexistens in Deo, ut probavi: ergo, juxta discursum Augustini non repugnat hæc præscientia prædestinationi, sed ad illam est necessaria. De qua re dicemus plura in libro quinto, capite ultimo.

9. *Augustinus in duobus aliis locis de scientia Dei ex suppositione loquitur. — Testimonia Augustini retorquentur.* — Neque efficaciora sunt alia duo testimonia ex epistolis 105 et 107; nam evidenter in eis loquitur Augustinus de præscientia operum futurorum in tempore, atque adeo de præscientia absoluta, non de conditionata. Possumus autem illa testimonia retorquere, quatenus in eis, præsertim in priori, docet Augustinus bona opera quæ Deus, speciali gratia, facit in nobis, præsciri a Deo, supposita ejus electione, seu prædestinatione; opera autem mala non ita cognosci. Si enim hoc verum est in absoluta præscientia, etiam erit verum in scientia conditionata: ergo saltem illa non possunt cognosci in decreto absoluto ex parte Dei, licet sit ex parte objecti conditionatum: quia neutro modo potest Deus ex se velle, aut prædestinare peccatum. Nec valet distinctio de peccato pro materiali vel pro formali, quia Augustinus etiam de ipsa voluntate non credendi negat esse ex proposito Dei. Præterquam quod non potest habere locum illa distinctio ubi malitia est inseparabilis ab actione prædestinata, seu prædefinita, ut jam probatum est, et in libro tertio iterum est dicendum.

10. *Ante conditionatam scientiam pravi operis, vel in ipsa objective non datur in Deo decretum.* — Quocirca, ante præscientiam conditionatam futuri operis pravi, non solum non est necesse ut antecedit in Deo decretum in quo possit tale peccatum sic præsciri, verum etiam neque in conditione ipsa potest objective includi tale propositum. Quamvis enim necesse sit ibi includi aliquod decretum Dei, quia sine aliqua libera Dei determinatione non potest aliquis effectus esse futurus, nihilominus non potest illud decretum esse tale, ut in illo cognoscatur esse futurus, sive absolute, sive sub conditione, servata proportionem et partitionem, quia neque ante, neque post scientiam conditionatam, neque in ipsa, seu objecto ejus, potest dari decretum prædefiniens actum, sed permittens et offerens generalem concursum, in quo solo non potest cognosci futurus actus, nisi simul cognoscatur determinatio et cooperatio libera voluntatis hominis, ut præsens objective, vel simpliciter, vel sub conditione. In bonis autem licet ante scientiam conditionatam non possit antecedere propositum præfinitivum, et omnino absolutum ex parte Dei, ne libertas lædatur, tamen, supposita conditionata scientia, potest optime antecedere ante absolutam præscien-

tiam ejusdem futuri: quia cum sit de bono objecto, non repugnat Deo; et cum supponat usum libertatis prævisum, non tollit illum, sed purificat conditionem, et illi accommodat vocationem per quam infallibiliter et libere compleatur, ut latius in libro 5 dicturi sumus.

CAPUT V.

DEUM HABERE CONDITIONATAM SCIENTIAM FUTURORUM ANTE DECRETUM LIBERUM SUE VOLUNTATIS, SECUNDUM RATIONIS ORDINEM, NEC POSSE TALEM SCIENTIAM IN TALI DECRETO FUNDARI, EX EISDEM SCRIPTURÆ ET PATRUM TESTIMONIIS OSTENDITUR.

1. *Assertio nostra.* — Non possumus ratione confirmare sententiam nostram, nec modum quo talis scientia in Deo est concipienda explicare, nisi prius hoc punctum, in quo ab auctoribus prioris sententiæ, qui nobiscum in asserenda ipsa scientia conveniunt, dissentimus, diligenter expendamus, quod maxime ex eisdem testimoniis Scripturæ et Patrum a nobis præstandum est, et obiter aliquas rationes attingemus. Dicimus ergo eisdem testimoniis, tam Scripturæ quam sanctorum Patrum, posse sufficienter probari hanc præscientiam, quæ in Deo est, non fundari in decreto libero Dei, sed esse priorem illo secundum rationem, vel etiam secundum illum modum dependentiæ vel independentiæ qui inter actus solum ratione distinctos inveniri potest, quia nimirum potest talis præscientia esse sine tali proposito, vel omnino, vel saltem sine illo, ut priori, in quo fundatur.

2. *Probat ex Evangelio.* — Hoc probamus primo ex verbis illis Christi: *Si in Tyro et Sidone, etc.*; nam, supponendo quod sint dicta ex certa præscientia conditionata, ut illi auctores, cum quibus nunc disputamus, admittunt, nullum potest cogitari propositum Dei liberum, et secundum rationem antecedens, in quo illa nitatur. Respondent ante illam scientiam habuisse Deum propositum ex parte sua absolutum, et efficax, licet conditionatum ex parte objecti, dandi hominibus Tyri et Sidonis auxilium efficax ad agendam poenitentiam, si in eis talia signa fierent (quidquid tale auxilium efficax sit), et in illo proposito cognovisse illam conditionalem, quia ratione illius habebat infallibilem veritatem, neque aliter illam habere potuisset. Sed, ut omittam, tum quod tale propositum conditio-

natum et liberum in tali casu et materia gratiæ confingitur, tum etiam quod ille modus præscientiæ repugnat cum contingentia veritatis cognitæ, de quibus in discursu capitis generalius dicemus, specialiter repugnat illa responsio intentioni Christi in illo loco et circumstantiis prædictionis ejus. Quia sic immerito Christus exprobrasset Judæos comparatione Gentilium, si isti essent convertendi per aliud auxilium, quod non dabatur Judæis, sine quo non stabat Judæos converti: sic enim Judæi justam responsionem habuissent, qua reprehensionem declinarent, et causam disparitatis in ipsum Christum rejicerent. Quin potius dicere possent frustra et fide tantam vim in signis et virtutibus posuisse, etiamsi conjunctas haberent inspirationes illis externis signis proportionatas, si alia Dei voluntas absoluta non accedat, per quam voluntas audientis determinetur, quia sine hac parum illa omnia valent, et hæc sine tot signis et virtutibus sufficeret.

3. *Nihil dandum ethnicis quod datum non sit Judæis.* — Igitur sistendum est in illis virtutibus et prævenientibus auxiliis quæ Judæis data sunt, ita ut illa verba Christi: *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te*, præcise et exclusive intelligantur; nam si aliquid aliud et efficacius dandum Tyriis et Sidoniis Christus subiecit, non est sincere locutus, nec justam objurgationem Judæis objecit. Sed ad hoc etiam respondent objurgatos comparatione gentilium, non quia non fuisset tunc majus et efficacius internum auxilium dandum gentibus, sed quia Judæis indigniores ad illud recipiendum se reddiderunt. Hæc autem responsio textui aut intentioni Christi consentanea non est; quia non de prioribus peccatis, sed de præsentibus obduratione et incredulitate eos objurgabat: neque reprehendit Judæos propter præcedentia peccata, ut prius commissa, sed propter duritiam cordis, et firmam ad sua peccata adhæsiorem voluntariam, quam tunc habebant, et quam non habuissent Tyrii et Sidonii, si apud illos signa fierent. Præterquam quod illa evasio non potest accommodari ad auxilium efficax, quacumque ratione explicetur. Nam si consistat in physica Dei prædeterminatione, vel in sola absoluta Dei voluntate, neutra pendet ex dispositione hominis, ut libro 5 ostendimus, et ideo nec datur propter dignitatem hominis, nec propter indignitatem negatur. Et quamvis aliquod auxilium ex se efficax negaretur propter præcedens peccatum, hoc ipsum